





1. Dav: Vogel Diff. an creatio Mundi ex lumine nature demonstrari queat. 1704.
2. Chr: Mascevoj Diff. ex Gen: I. vi. 1723.
3. Joachi Hildebrandi Diff. de creatione universi 1687.
4. Berth. Derschow Diff. de immortalitate primi hominis. 1629
5. Christ: Mascevoj Diff. de voluntate Adam 1710
6. Joh: Hurelmanni Diff. de lapsu primorum parentum. 1637.
7. Mart: Corseh Diff. II, de fluvio paradisi. 1706.
8. Aug: Pfeifferi, Diff. de homicidio Lamechi. 1671.
9. Christ. Neubaur Diff. de signo quod Deus Caini posuit. 1672.
10. Joh. phil. Pfeifferi Diff. de homicidio Lamechi. 1670

ה"ב

DISPUTATIO HISTORICO - PHILOLOGICA,

DE

D I C T O

Haggæi II. 5. 6.,

QUAM,

DEO TRIUNO AUXILIANTE,

Placidæ Eruditorum disquisitioni

Submittunt

PRÆSES

ABRAAMUS WOLFIUS,

P. P.

& *RESPONDENS*

JOANNES GODOFREDUS

SECRET

PHIL. ET THEOL. CULTOR.

AD DIEM XII. OCTOBRIS MDCCXXIII.

IN AUDITORIO MAXIMO,

HORIS CONSUVETIS.

Magnifico, Prænobilitissimis, Excellentissimis
ac Consultissimis

INCLYTÆ LOEBNICENSIS REIPUBLICÆ
PATRIBUS CONSCRIPTIS.

GEORGIO *Emmerich*!

Rectori hujus Albertinæ Magnifico, Med. Doct. ac Prof. Ord.
Sec. Celeberrimo, Consuli meritissimo.

HEINRICO *Röpping*!

Pro Consuli dignissimo.

JOHANNI *Wiender*!

Prætori spectatissimo.

JACOBO *Rühn*!

JACOBO *Rhode*!

Camerario vigilantissimo.

CHRISTIANO *Sobansen*!

Scholararchæ gravissimo.

CONRADO *Stein*!

U. J. D. & P. P., Judici æquissimo.

CAROLO *Rühn*!

ut et

CHRISTIANO *Sobansen*!


Secretario.

PATRONIS ATQUE FAVORIBUS COLENDIS,
SUSPICIENDIS

*Dissertationem hanc, in ulteriorem sui, suorumque
studiorum commendationem, submitte offert*

JOANNES GODOFREDUS *Teske*

Q. D. B. V.
PROOEMIUM.



Aluberrimum sane, de *Jesaja* explicando, monitum a divinitus concesso, adeoque & felicissimo Ecclesiae Reformatore, *Luthero*, suppeditatum legimus in *Præf.*, quam Prophetæ illi præfigendam voluit; quo ipso præcipit, ut, qui recte intelligere discipiat divinum hunc vatem, consulat posteriorem librum *Regum*, nec non posteriorem librum *Paralipomenon*; ac in primis probe pensitet res gestas, variosque fortunæ casus sub Regibus, quorum mentionem fecit *titulus* vaticinii. Oppido enim necessarium esse, dicit, ad sensum vaticiniorum adsequendum, ut ex illis libris historicis pernoscas, quis status Reip., quæ conditio rerum, quæ mens hominibus, quæ consilia inita, & cum amicis, & contra hostes; ante omnia, quomodo se erga Deum ipsum, ejusque Prophetas gesserint, quod ad verbum cultumque Dei, nec non idololatriam attineat. *Idem* in aliis *Prophetis* interpretandis præceptum observatu maxime necessarium esse, nullus *Exegeta* prudens, credo, abnuerit. Atque hæc etiam me causa permovit, ut pauca (saxit Deus feliciter!) in *Haggai* dictum commentaturus, historiam temporis illius, quo Prophetæ hic vaticinatus est, brevissimis delinearem *Sectione* I., antequam *Sectione* II. ipsa exponerem verba.

A

SECTIO

SECTIO I. HISTORICA.

§. I.

Historiam ergo illius tempestatis repetituro, evolendus est liber *Esdræ*, qui Judæorum, ex captivitate Babylonica reducum, fata sub prioribus (a) *Persarum* Regibus exponit, quique eo majorem, immo maximam meretur fidem, quod a viro θεοπνεύτω consignatus est. (b)

(a) *Quinque Regum Persicorum* expressa fit mentio in hoc libro. *Primus* est CYRUS c. I. 1. ; alter ACHASCHVEROSCHUS c. IV. 6. tertius ARTACHSCHASTA c. IV. 7. ; quartus DARIUS c. IV. 5. 24. V. 6. ; quintus ARTACHSCHASTA c. VII. 1. Per quos quinam Persarum Domini proprie intelligendi sint, non una virorum doctorum est sententia. Quarum duas celebratissimas paucis hic nobis referendas & excutiendas videmus, quo in §§. seqqv. pede progredi valeamus inoffenso. De *Cyro* quidem, quin is *primus* Persarum Monarcha sit, dubium est nullum, licet de expugnatione Babylonis, Babylonique regni occupatione, non eadem omnibus hæreat opinio. De *reliquis* hic nominatis Regibus JOSEPHUS SCALIGER Libr. VI. de *Emendatione Temporum* ita scribit; sc. per *Darium* inrelligendum esse cum, qui *Nothus* cognominatus est, eo quod ex pellice susceptus; per *Achashveroschum* vero *Xerxen*; per *Artachschastam* priorem *Artaxerxen Longimanum*; per alterum *Artachschastam* *Artaxerxen* *μνήμωτα*. Et hunc ducem secuti sunt *Chronologorum* multi. ALIIS vero *Achashveroschus* est *Cambyses*; *Artachschasta* c. IV. 7. memoratus, *Pseudo-Smerdis* Magus; *Darius* is, qui *Hystapis* fuit filius, & trucidatis Magis, solertia equifonis regnum adeptus est; *Artachschasta* denique, cujus c. VII. 1. mentio injicitur, *Artaxerxes* *μωροχαιε*. Et hanc sententiam, *Scaligeri* & sequacium

cium præferendam autumo; ac pro illa has adfero rationes. (1.) Si *Darii Nothi* demum auspiciis templum instauratum est, nimis longum merito reputatur tempus, quo illud jacuerit in ruinis. Durior omnino tunc habenda esset Judæorum conditio ex captivitate dimissorum, quam quæ presserat in ea detentos. Quid enim gravius potuisset accidere pio Judæo, quam in Palæstina templo, adeoque cultu divinitus instituto, carere, multos ultra centum annos. *Accedit, Josuam* Sacerdotem summum, & *Zorobabelem* principem, qui prima sub Cyro jecerant fundamenta Esdr. II., ædem hanc anno Darii Nothi 6. absolvisse. Equidem duobus his principibus una cum Esdra & Nehemia, longam utique tribuendam censeo ætatem, utpote quorum opera Deus uti volebat, in populi sui restitutione: Vix tamen adduci possum, ut credam, Josuam munere functum adhuc fuisse Sacerdotali, natum fere sesqui seculum; vacationem saltem muneris adeo grandævus habuisset. *Adde*, quod tempore Darii illius, sub quo templum exædificatum est, superstites fuerint viri, qui magnificentiam viderint templi Salomonei Hagg. II. 4, quos oporteret fuisse natu adhuc majores, & attigisse fere ætatem ducenariam, quæ certe admodum insolens ea quidem tempestate. Quam ad locum Haggæi *re-spon-sionem* dedit *Scaliger*, jejuna valde est. Vult enim exponi: *Osi quis vestrum prioris domus gloriam vidisset, eam cum ista comparans, quam nihili hanc faceret.* Quam coactum hoc sit, cuilibet, verba Prophetæ vel fugitivo inspicienti oculo, patet. Categoricalam enim propositionem in Conditionalem mutat. Simile, quod ex Matth. XII. 11. adducit, plane est dissimile; non enim *historiam* Christus narrat, sed *casum*, qui accidere possit, fingit: Haggæus autem *rem* uti acciderat, exponit; quod vel ex iis, quæ sequuntur, luce clarius est meridiana; dum omnia conquirat argumenta, quibus mœstos soletur. (2.) Altera succedat ratio, sc. *duos* tantum Reges, *Cyrum* inter & *Darium*, templi instauratorem, regnasse in Perse, *Achabsevero-schem* & *Artachschastam*. Jam inter *Cyrum* & *Darium Nothum*

thum imperio præfuerunt vel septem; aut inter *Cyrum & Dari-
 um Hyſtaſpidem* duo ſunt medii, *Cambyſes & Pſewdo-Smerdis*.
 Nec eſt, quod quis ſibi cum *Scaligero* imaginetur, hos duos,
Achaſchwerofchum ſc. i. e. Xerxem, & *Artachſchaſtam* i. e. Ar-
 taxerxem Longimanum nominari; quia hi duo omnium ſe-
 veriffime prohibuerint templi ædificationem: pluribus omiſſis,
 quia unius poſitio non ſit alterius exclusio. Nam, ut ad po-
 ſterius ſtatim respondeam, ille canon profecto hic locum non
 habet. Nam ſcriptor facer vult exponere, cur opus a Cyri
 tempore, uſque ad annum Darii ſecundum fuerit intermiſſum;
 ſc. quia duo hi Reges prohibuerint. Si ergo plures Perſarum
 Reges idem feciſſent, & eosdem adponere debuiſſet, quia
 probatio alias fuiſſet hiulca. Quod autem ad prius attinet, con-
 trarius ſibi videtur *Scaliger*, quando *Xerxi*, quem *Eſthera* ma-
 ritum magno conatu evincere vult, attribuit, quod interdicto
 ſuo, non tantum extruccionem templi impediſſet, ſed etiam
 effecerit, ut opes Judæorum multum attrita, & ipſi in miſer-
 rimum ſtatum redacti ſint p. 290. cum tamen *Eſthera* maritus
 in Judæos fuerit indulgentiſſimus. Nec probabile videtur,
Artaxerxem Longimanum adeo inſenſum fuiſſe Judæis, ſi vel
 conſideres, eum ut benignum deſcribi. Sin adhuc, quod
 multi volunt, ſtatuas, huic nupſiſſe *Eſtheram*, a vero plane id
 alienum eſt. (3.) Tertia deſumatur ratio ex Zach. I. 12. coll.
 VII. 3. 5. & 2. Reg. XXV. 8. 9. Ex his enim locis palam eſt,
 a combuſto templo atque urbe uſque ad ſecundum vel quar-
 tum Darii annum, præterfluxiſſe annos LXX. Jam ſi computum
 in eas annorum a XIX. *Nebucadnezaris* anno, quo combuſtio
 facta; LXX. numerare poteſ annos ad *Darium Hyſtaſpidem*,
 cum uſque ad *Darium Nothum* illis LXX., plures quam cen-
 tum anni addendi forent. *Denuo* frivolum eſt, quod conjicit
Scaliger, LXX. annos apud Zachariam, ab edicto *Xerxis* con-
 tra Judæos, eſſe computandos. Nam ſupra jam demonſtra-
 tum, tale edictum, vel ex ipſius *Scaligeri* ſententia, a Xerxe
 emanare non potuiſſe; vel ſi fingatur emanari, unde probabi-
 tur, inde numerandos eſſe LXX. illos apud *Zach.* annos, cum
 aliud

aliud evincat locus citat: 2. Reg. XXV. 8. 9. Si forte quem offendat *nominum* diverfitas, dum Pandectæ S. *Achafchverofchum* adpellant, quem alii Historici *Cambysen* dicunt; & illæ *Arachschafstam*, quem hi *Smerdem*: is habeto, quod moris fuerit *Persis*, alia sibi post dignitatem adeptam nomina sumfisse. Vid. *Scalig. de Emend.* p. 284.; nisi forte illis adfentiri velis, qui utrumque, faltetn alterutrum illorum nominum, omnibus *Perfarum* Regibus *commune* fuiffe volunt, & *honorificum*.

Paucis nunc *refpyndendum* erit iis, quibus suam probare fententiam fategit *Scaliger*. (1.) Primo ita vult concludere: *Darius*, qui Neh. XII. 22. memoratur, est *Codomannus*; & *Jaddua*, qui eodem cap. commate, 11, nominatur, est *Pontifex* ille, qui *Alexandro* M. obvius processit: Ergo *Nehemias* tempora *Alexandri* vivendo attigit. Sed R. N. C. Libri quidem *Nehemias auctorem* secundarium esse ipsum *Nehemiam*, concedo; id quod argumentis etiam probari potest: ast (ut taceam eorum opinionem, qui fieri potuiffe sibi pofvadent, ut sub *Dario* Notho adhuc vivens *Nehemias* *Jadduam* videret in sacerdotio jam constitutum, vel certe constituendum) *supplementum* hoc *genealogicum* a v. 1. --- 26. cap. XII. ab *alia*, quam *Neb.*, manu profectum, & publica auctoritate insertum, vero est quam simillimum; si consideres, & alibi, in *genealogicis* maxime, additamentum esse factum. Vide 1. Par. III. 19. feqq., ubi decem *Zorobabelis* generationes recensentur; quod fieri nequivit ab *Esdra*, qui auctor illius libri putatur. (2.) Firmiore hoc argumento vult stabilire, quando *Sanballatum* qui Neh. æqualis fuit c. IV. 1. eundem esse putat, qui *Alexandri* castra fit fecutus, teste *Josepho*; Sed quæ cogit ratio, ut eundem fuiffe existimemus? cur non diverfos statueremus? cur populi DEI infensissimo atque acerrimo hosti tam longam tribueremus vitam? (3.) Ast putat, vel pertinaciæ se os obtufurum esse, quando ex *Flav. Josepho* refert, *Sanballatum* filiam, cui nomen *Nicaso*, uxorem dediffe *Manasse*, fratri *Jaddue*; & hunc eum esse autumat, quem *Nehemias* fecerit *πρωτοπνεύτων*. Neh. XIII. 28. Ast, nisi vis admittere, bis adfinitatem a fami-

lia pontificis contractam cum paganis; dubio procul *Josephus* posteriori tribuit *Sanballaco*, quod tribuendum erat priori. Non enim video causam, quæ moveat, cur per filium *Jojadæ*, nepos ejus necessario sit intelligendus. *Josephum* autem in hac ipsa historia hallucinatum esse, & personas confudisse, vel exinde patet, quod *Xerxis* auspicii mœnia restituta narrat, quod factum tamen constat, sub *Artaxerxe Longimano*. (4.) Multa deinde disputat de *quarto*, qui Dan. XI. 1. commemoratur, *Perfarum* Rege, quem *Xerxen* esse, pluribus contendit, maritumque eum adserit *Estheræ*, quam eandem dicit cum ea, quam profani Scriptores *Amestrin* vocitant. Ad hæc, ut multa regeram, causa nulla est. Nam *quartum* *Perfarum* Regem apud *Danielem*, concedo esse *Xerxen*. Utrum autem *Estheram* duxerit in matrimonium, ad præsentem quidem controversiam nihil refert: hoc saltem addo, *Estheram* & *Amestrin* eandem esse, aliis parum videri probabile; eo quod hæc talibus prædita fuerit moribus, qui ab *Esthera* piissima quam alienissimi fuerint; Pater ejus jam ante expeditionem in Græcos honoratissimus; ipsaque jam ante eandem nupserit *Xerxi*. (5.) Plus in recessu habere videtur, quod urget, *Darium*, sub quo templum instauratum est, medium esse inter duos *Artaxerxes*; adeoque alium intelligi non posse, quam *Nothum*, qui successerit *Longimano*, & reliquerit imperium *Memorioso*. Sed supra jam demonstratum est, priorem *Artaxerxen* eundem esse cum *Pseudo-Smerde*. Posterior autem *Artaxerxes* est *Longimanus*. Inter hunc atque *Darium* intercedit quidem adhuc *Xerxes*. Omissus autem videtur hanc ob causam, quia, si ex sententia *Scaligeri* aliorumque, *Estheram* habuit in matrimonio, de ejus erga Judæos animo, rebusque gestis in libro *Esth.* expositum est abunde: vel, si *Artaxerxi Longimano* des *Estheram* uxorem, eodem fortunæ Judæorum mansere loco, quo fuerant sub *Hystaspide*. (6.) Quæ adversus eos, qui *Esdr.* IV. ex *Ahaschweroscho* 6. commatis, & *Artaxeste* 7. commatis monstrum bicorpor compegerint, *Ahasverum Artaxerxen*, me non feriant, utpote qui duos intelligendos Reges adstruxi. (7.) Porro ait, *Nebe-*

Nebemiam anno XX. *Artaxerxis Memoris* scribere, sese diu investigasse librum genealogiæ eorum, qui cum *Zorobabele* redierant, eumque post longam investigationem tandem reperisse. Quo facto, probari arbitratur, neminem eorum, qui redierant, tunc superstitem fuisse. Sed de tam diligenti genealogiarum inquisitione, quam crepat, Neh. VII., quorsum tamen respicit, nil relatum lego. Invenisse se memorat librum recessionis eorum, qui prius adscenderant, non autem diu sese investigasse. (8.) Adfert etiam ex *Esdra*, quod *Darius* iusserit *Bibliorbecas* & *Archivorum* forulos diligenter excuti, ut edictum *Cyri* de reditu *Judæorum* reperiretur; atque hinc colligit, rem vetustissimam fuisse edictum illud, & nec *Hystaspiden* sed *Nothum* intelligendum esse. Sed licet intervallum non adeo magnum intercedat *Cyrum* inter & *Hystaspiden*: mirum tamen non videbitur, edictum *Cyri* requisitum esse ex *Archivis*, consideranti, regnum *Persicum* fuisse vastissimum; magnam in eo factam fuisse conversionem; edictum illud ab aulicis, *Judæorum* genti inimicis, suppressum; *Darium* cognoscere voluisse, quibus conditionibus permessa a *Cyro* templi instauratio. Quæ hac occasione rursus inserit ex libri *Estheræ* c. II. 5. 6. de tribus *yeveâis*, quæ præterfluxerint in ad *Kiso* cum *Jechonia* abducto, usque ad *Mardocheum*, rem non conficiunt. Nam non *Kisum*, sed *Mardocheum* ipsum cum *Jechonia* abductum esse, fat clare ibidem indicatur; vide accentus hebraicos. (9.) In eo quoque aliquod firmamentum opinationis reperisse se putat, quod Neh. XII. 47. duorum tantum ducum *Zorobabelis* & *Nebemiam* mentio fiat. Exinde vero colligi plane nequit, non plures sub tota *Monarchia Persica* fuisse; cum hic non tantum canon ille, supra quidem a me rejectus, valere debeat: unius positio non est alterius exclusio; sed etiam aliud expressis verbis doceatur Neh. V. 15. (10.) Ultimo summum suæ hypothesi accedere robor autumat exinde, quod initium LXX. hebdomadum *Danielicarum* non aliunde quam ab anno II. *Darii Noibi*, utpote a quo usque ad excidium *Hierosolymorum* effluxerint anni CCCCXC. duci queat. In hanc diffusissimam si me vellem immit-

immittere controversiam, vereor, ne plane a scopo aberrem; jam tum enim, præter opinionem, longius me abiisse video. *Tribus* ergo dico: Hanc *Scaligeri* de LXX. hebdomadibus sententiam mihi non arridere, *has* potissimum ob *causas*, quod *erium* ab angelo constitutarum *epocharum* cuilibet peculiare initium tribuit, cum tamen potius una alteri fuisset subordinanda, ita ut continua successione cohæreant conf. Dan. IX. 24. 25.; quod finem earum ponit in excidio Hieros., cum tamen in Christi morte ponendus fuisset; *item*, quod Daniel loquitur de edicto, quo urbis instauratio permittitur, vel præcipitur; Scaliger autem id ad edictum de templo ædificando adplicet. Præterea alii probarunt, eas LXX. hebdomadas numerari posse ab septimo Longimani anno, conf. Esdr. VII. 1. 7. 8. vel, si cum quibusdam Xerxi non XX. aut. XXI. sec tantum XIII. tribuas annos, Artaxerxi vero non XLI. sed L.; vicesimo hujus Regis, Neh. II. Et hæc hac de re nunc quidem sufficient. Ex qua disputatione contra *Auctoritatis præjudicium* observari potest: *Artifici (Critico) non semper in arte (Critica) sua credendum esse.*

(b) *Esdræ* ipsum, insignem illum doctorem, auctorem hujus libri secundarium esse, vel exinde palam est, quod de se sæpe in prima loquitur persona. c. V. 3. seqq. VII. 27. 28. IX, 5.; quanquam interdum in tertia de se persona loquatur more aliorum scriptorum e. g. c. X. 1.

S. II.

Ab initio statim (c) memoratur edictum *Cyri* quo primo Monarchiæ suæ anno (d) *Judeis* non redeundi solum in Judæam, sed *templi* etiam condendi faciebat potestatem. Fundamentis autem, secundo, post reditum ex captivitate, anno, hujusque anni mense secundo (e) jactis, *Samaritæ* a socia instaurandæ ædis opera a Principibus populi, & quidem merito depulsi, (f) opus impediabant. *Cyro* enim belli negotiis ac curis implicito, atque adversus ho-

hostes profecto, facile erat Judæorum inimicis per mercenaria consiliariorum quorundam studia, obstacula ponere. (g) Quæ sub *Cambyse* filio, quem *Achasschveroschi* nomine insignivit scriptor Sacer, (h) profani vero omnibus vitiis, ac præcipue sævitia, plus, quam beluina obrutum testantur, non removebantur, sed multiplicabantur. (i)

(c) cap. I.

(d) Primum *Monarchie* annum dicimus, non *regni*. Constat enim; eum diu in Persia regnasse, antequam *Monarchiam* occuparet. Hoc nimirum factum est, postquam *Babylone* capta metropoli, *Babylonios* subegit. *Quomodo* autem sibi constet *Scaliger*, hariolari non possum. Libro enim VI. de *Emend. Temporum* p. m. 275. adserit, anno captivitatis *Babylonicæ* LX. captam ab eo esse *Babylonem*; & post dimissos ex captivitate *Judæos*, III. annos fuisse superstitem: ex quo patet, a capta *Babylone* ad solutionem *Judæorum* effluxisse annos X. At p. 283. adfirmat, *Dan. XI. 2.* (coll. X. 1.) sermonem esse de anno *Cyri* ultimo, qui fuerit tertius captæ *Babylonis*.

(e) cap. III. 8. 9.

(f) Bona quidem verba dant *Samaritanæ* c. IV. 2., verum veri Dei cultum observare se, persuadere volunt *Judæis*: exinde fere colligeres, repulsam eos immeritam accepisse. At non sine causa statim v. 1. nominantur *adversarii* *Judæorum*; præterea constat ex 2. Reg. XVII. 33. 34., damnandum eos introduxisse *Syncretismum*, quam an eo jam tempore deposuerint, valde ambigo: certe verendum erat *Israëlitis*, ne, si externam removerint idololatricam, ad vomitum redirent. Placent ergo & perplacent, quæ in H. E. *Gothana* leguntur p. m. 309. Egregium hoc exemplum est devitandi falsos fratres & apostatas, a quibus gravius & propinquius *Ecclesiæ* periculum est, quam ab apertis hostibus; ideo qui *ethnicorum* patrocinia & dona non spernebant, respuebant tamen *hypocritarum* pollicitationes.

(g) c. IV. 5. (h) ib. v. 6. Per hunc enim *Achasschveroschum*

B

intel-

intelligendum esse *Cambyfen*, supra ad §. I. not. (a) demonstratum est. De derivatione & significatione nominis, duas nunc modo addimus sententias, *Hilleri* alteram, alteram *Pseiferi*; quorum ille in *Onom*: S. p. 618. 619. vertit *magnum Rectorem*; hic in *Dub. Vex.* p. 482 *Majestate pollentem*. Utram elegeris, honorificum fuisse Regum Persicorum cognomen, adfirmare licet, quanquam per me liceat vertere semper per Græcorum *Ξέεξης*. (i) c. IV. 6. Equidem quam obstatula in specie objecta fuerint, non edisseritur, sed ab effectu ad causam concludere solemus firmissime, adeoque ab intermissione exstructionis templi h. l., ad ejus prohibitionem palpabilis est consequentia.

§. III.

Cambyfi, in reditu ex Ægypto, vulnere, quo proprius eum gladius, qui equum conscendenti vagina exciderat, faucivavit, mortuo, *Smerden* subornaverunt Magi. Nomen hic *Artaxerxis*, ad folium evecctus regium, sumsisse sibi, non immerito creditur, eo quod ab Esdra vocatur *Artachschasta*. (k) Idem a Justino Oropastes; Spenhadates a Ctesia nominatur. Non mitiori sub hujus regimine fato utebantur Judæi. Hostes enim illorum, litteras odiosæ ac lividæ delationis plenissimas, (l) exarant ad Regem, quibus efficiunt, ut sibi injungeretur, vi etiam impedire ædificationem. (m)

(k) c. IV. 6. *Artachschasta* enim nomen Græcis verti *Artaxerxen*, plurimi volunt. Latine *Hillerus* exponit: *Princeps Magnus*. *Onom.* S. p. 619. & *magnum bellator* p. 623. Esse vero hunc *Smerden*, supra quoque §. 1. not. (a) evictum est. (l) c. IV. 6. seqq. ubi *ὡς ἐν παροῦσι* monemus, verba v. 14 paullo aliter vertenda esse. *Lutherus* ita: *Nun wir aber alle dabey sind/die wir den Tempel zerstöhret haben*; Sic *Grotius*; propter demolitionem Templi quod demoliti sumus; quos præterunt

verunt *Rabbini*. Sed potius h. m. quia sale palatii (regii) salimur i. c. salaria ab aula accipimus. (m) c. IV. 17. seqq.

§. IV.

Ceterum ingens quidem facta erat mutatio in imperio Persarum; *Smerde* enim trucidato, rerum potitus est *Darius Hyftaspis*: at Judæi nunc, vel nemine prohibente, in instauratione templi cessabant, nullo saltem libello supplici experiri volebant, an facultatem ædificandi possint impetrare; sed a cura instruendi templi, ad magnificas sibi ædificandas domus toti erant conversi, quin incolebant jam illas, ipso *Haggæo* hoc nos docente. (n)

(n) Hagg. I. 2. seqq.

§. V.

Hanc perversitatem, Dei verbis, sub initium statim suæ prophetiæ (o) *Propheta* corripuerat, ob oculos simul ponens, quantas propterea poenas sustinuerint. Stimulos quoque reliquerat hæc *Haggæi oratio* in animis principum (p) pariter, atque totius concionis; jamque certi erant, opus iterum moliri, immo adgrediebantur illud jam strenue (q) XXIV. die mensis VI., anno Darii II.

(o) I. c. (p) Hagg. I. 12. Esdr. V. 1. 2. (q) Hagg. I. 14. 15.

§. VI.

Ex veterum autem excitati, ne ab incepto deterrerentur rursus, metu offensæ novi Regis subeundæ; cum præsertim inimici interrogarent, auctoritate cujus id facerent, totamque rem Regi se delaturos profiterentur, immo deferrent: (r) novo Deus vaticinio animum iis addere volebat, mense sequenti VII., hujusque die XXI. Confirmato scilicet vult esse animo, *Zorobabelem, Josuam, totumque populum,*

lum, dum promittit non præfens modo auxilium, ego, in-
 quiens, *vobiscum sum*; sed & præterita, quorum recor-
 datio sæpe non parum facit ad animos confirmandos, in
 memoriam revocat: & quidem pergens, *cum Verbo*, quod
pangendo sædus promisi vobis, (vel, *quo pepigi vobiscum*) *cum*
exiretis ex Ægypto; quin & operationes Spiritus sui animad-
 vertere jubet, ex iisque colligere, se nec in extruendo
 templo defuturum; & *Spiritus meus*, adjiciens, *persistens in*
medio vestrum. Itaque etiam concludit cum dehortatione
 a metu: *Ne timeatis*.

(r) Esdr. V. 3. seqq.

§. VII.

Cum hoc Prophetæ scopo, quem *historiæ* filium nobis
 commonstravit, conciliabitur facile alter, quem ex *Antece-*
dentibus & Consequentibus, collato Esdr. III. 12. eruere licet.
 Scilicet seniores quidam, qui prius, a Salomone extru-
 ctum, viderant templum, solliciti erant de gloria hujus
 ædis externa, quam augurabantur perventuram haud esse
 ad splendorem pristinum. Ne ergo moestitia segnescerent,
 his quoque verbis eam eorum ex animis pellere cupiebat.
 Vult dicere: quid adeo anxii estis animis, quod careat,
 vel carituram putetis domum hanc, ornamentis multis, iis-
 que splendidissimis, quibus prior superbiit? nonne satis
 habetis, quod ipse *Jehova vobiscum sum*, & vos ipsi tem-
 plum Dei vivi.

SECTIO

SECTIO. II. PHILOLOGICA.

Hagg. II. 5. 6.

ועתה חזק זרככל נאם-יהוה וחזק יהושע בן-יהוצבק
 הכהן הגדול וחזק כל-עם הארץ נאם-יהוה ועשו
 כי-אני אתכם נאם יהוה צבאות: את-הדבר אשר
 נרתי אתכם בצאתכם ממצרים ורתי עמרת בתוכם
 אל תיראו:

§. I.

Ut dicenda, dicendorumque ordo in conspectu sit,
 hanc horum duorum commatum habe *Analysin Logicam*,
 sc. continetur hic

Adhortatio Dei seria ad Judæos de templo instaurando.

✱ *Adhortatio ipsa, ubi notetur*

α) *Adhortans*: Jehova, cujus hic expressum est ora-
 culum

β) *Interpres Dei*: Haggai Propheta:

γ) *Objectum personale*

a) *Zorobabel dux politicus & præfectus Regius*

b) *Josua, Pontifex maximus*

c) *totus populus*

δ) *objectum reale*: Templum instaurandum.

ε) *actus cum modo, qui proponitur*

a) *affirmative*: fortis esto, quæ vox ter repetitur:

b) *negative*: ne timeatis.

⊔ *Motivum, a presentissimo auxilio divino*

B 3)

a))

- α) *Auxilium præstiturus* est Deus triunus adeoque
 a) *Pater*, qui vocatur Dominus (Deus) exercituum
 b) *Filius*, qui describitur
 1. *a nomine*: vocatur Verbum
 2. *ab opere*: quod est foedus gratiæ per illum
 initum
 c) *Spiritus S.*, qui rursus describitur
 1. *a nomine*: Spiritus meus
 2. *ab opere*: Inhabitatio.
 β) *quibus præstetur*: vobis
 γ) *auxilium ipsum*: Sum vobiscum.

§. II.

Nunc ordine lustrabimus singula membra, non con-
 quisituri omnia, quæ dici possent, sed, quæ nobis videbun-
 tur adlaturo. *Adhortationis* ergo *auctor* nobis sistitur ipse
 יהוה Quæ de voce *Tria* vel *tribus* observare nunc juvat.
 N *Primum* esto de *LECTIONE*; ubi illis adsurgo, qui
 nomen hoc, prout scribitur, legendum judicant. *Hoc enim*
& Consonantes, & *Vocales* suo sibi jure efflagitant; (s) *idem*
composita cum hac voce urgent; (t) *idem* exinde elucet lu-
 culentissime, quod *LECTIONIS* per *Adonai* auctores ac *De-*
fensores, & *Consonantes*, & *Vocalia Puncta*, & *Formam*
deserunt; (u) *eorumque argumenta* infirmiora videntur,
 quam ut, rem sine partium studio ac præjudicio confide-
 rantem, ab altera illa sententia dimovere queant; (x) tan-
 dem *idem* ex *Significatione* probari potest, utpote quæ ex *Le-*
ctione per *Adonai*, nisi simul ipsum inspicias librum, in-
 telligi nequit. (y) \supset *SIGNIFICAT* enim, quod secun-
 dum considerationis membrum est, *Essentialitatem* (liceat ita
 loqui)

loqui) five *ens*, quod *essentiam* habet ex se ipso; (z) & quidem non contingenter, sed necessario, (aa) atque ita, ut nil sit, nisi *essentia*, nec ullum in eo detur *Accidens*; sed omnia in eo sint *tautò*, ut loqui amant Theologi; (bb) denique omnibus *essentiam* dans atque conservans (cc). Ex quibus prono fluunt alveo, quod sit *independens*, & *summus* ac *majestate plenissimus*, *der einzigste Souverain* (dd); *aternus* & *immutabilis*; (ee) *simplicissimus* atque *unicus* (ff). Expendi autem curatius merentur loca, in notis citata. Ex Significatione quoque per se patet; USURPARI non posse hanc vocem de *ulla re creata*, sed tribuendam *soli Deo*, adeoque nomen Dei *proprium* esse. Id quod ulterius probari potest ex *Testimoniis* Scripturæ; (gg) ex *Inductione* omnium locorum; (hh) ex *Requisitis* Nominum Propriorum. (ii) Hoc simul notetur, *adhiberi* hoc vocabulum a) de *rota S.S. Trinitate*; (kk) β) de *una Persona*, & quidem (1.) de *Patre*, (ll) (2.) de *Filio*, (mm) (3.) de *Spiritu S.* (nn)

(s) Ex Consonantibus enim & Vocalibus Syllabæ fiunt. (t) v.g. Jehonathan, Jehoschaphat, cet. utpote quæ sine controversia componuntur ex nomine Tetragrammato, (hinc enim fit, ut in eodem nomine pro *Jeho* interdum alternet *El* :) & nemine contradicente leguntur, prouti scribuntur. (u) *Consonantes* deseri, plane in aprico est: in *punctis* pro (-) poni tur (:) simplex. Exceptionem de *š*, littera gutturali, quæ *Schva* compositum requirat, & *ʿ*, littera non gutturali, quæ *schva* simplice contenta sit, refellit alterum illud *יהוה*. Aliam quoque prorsus *formam* esse, si nomen ab initio augeatur, ut *יהוה*; & si finale augmentum habeat, aut compositum sit, ut *יהוה*, quis in dubium vocaret? (x) *Tria*, ni fallor, sunt *primaria* argumenta, quibus alterius sententiæ adsertores, pugnant, *Primum* petunt, ut ipsis quidem videtur, a *testimonio*

Christi

Christi, Apostolorum, Patrum, quos יהוה per Adonai legisse, probare conantur exinde, quod communiter יהוה vertant per תוֹ אֲדֹנָי. Sed ꝑ (1.) Si *communiter*, ergo *non semper*. conf. Gen. XV. 6. cum Rom. IV. 3. (2.) אֲדֹנָי usurparunt, quia in Græcam transferre linguam hoc N. P. non commode potuerunt; (3.) quid si ex mente *Leusdenii* תוֹ אֲדֹנָי posset derivari; ex אֲדֹנָי *existo, sum*; ita enim ei conveniret facile cum יהוה; (4) nec תוֹ אֲדֹנָי exacte respondet תוֹ אֲדֹנָי. *Secundum* desunt ab *auctoritate Judæorum*. Sed ꝑ hanc nullam esse; quia superstitiosos esse, palam est vel *exinde*, quod in libris profanis pro יהוה scribunt יהוה, ne forte profanetur nomen ipsum. *Objicit*: Et veteres legerunt per Adonai; ꝑ Illi dubio procul ex sola abusus formidine id fecerunt, ne idolis id tribueretur. Hinc Talmudistæ fatentur, sub temporibus Messia, idolis exterminatis, pronunciationem litterarum cum earundem scriptura, consensuram, docente *Dantzio* in *Pref. Paradigmatibus Nom. & Verb.* præmissa. *Tertium* arcessunt ex *Grammat.*; a punctis præfixorum, & תוֹ (.) leni, sequenti litteræ בגדכפת impresso nonnunquam. Sed ꝑ Quod ad *posterius* atinet, תוֹ (.) leni interdum & post alias voces, littera quiescente terminatas, litteris בגדכפת imprimitur, conf. *Wasmuth. Hebr. Restitutum.* Reg. VI. M. I. lit. (a) Ad *præ* potest responderi: (1.) præfixionem in hac voce esse singulariter anomalicam; (2.) vel cum *Hillero*, compendiosam esse scripionem, ut utrumque vocabulum & אֲדֹנָי & יהוה simul indicet: vide Tr. ejus de *Keri & Cetbibb.* &c. (y) Aliam enim Significationem habet אֲדֹנָי, aliam יהוה (z) conf. Jes. XLI. 4. XLIII. 10. 11. Apoc. I. 8. 17. Joh. V. 26. (aa) ll. cit. it. Ex. III. 14. Sum, qui sum. (bb) ib. conf. 1. Jo. IV. 16. Jo. XIV. 6. it. Gen. XXII. 16. (per me) coll. Ps LXXXIX. 36. (per sanctitatem meam). (cc) Apoc. IV. 11. Act XVII. 25. (dd) Es. XLIII. 10. 11. Ps. XLVII. 3. 1. Tim. VI. 15. (ee) יהוה enim tres temporis differentias involvit, & Joannes, testis omni exceptione major; ita hoc nomen explicat: אֲדֹנָי, אֲדֹנָי, אֲדֹנָי, conf. etiam Ex. III. 14. Ps. XC. 2.

CII. 13. 25. + 28. Jef. XL. 28. Mal. III. 6. Jac. I. 17. (ff) Jef. XLIII. 10. 11. XLV. 5. 6. Deut. IV. 6. 35. (gg) Pf. LXXXIII. 19. Jef. XLII. 8. (bb) loca enim, in contrarium ab Anti-Trinitariis citata, facile vindicantur. (ii) Requisita fere hæc sunt: (1.) non præmittunt sibi ׀ demonstrativum ordinarie; (2.) non admittunt suffixum; (3.) non ponuntur in statu constructionis. (kk) Jef. VI. 3. 8. coll. Jo. XI. 40. & Act. XXVIII. 26. (ll) Jef. XLVIII. 16. & h. l. (mm) Jer. XXIII. 5. 6. Pf. CII. 26. coll. Hebr. I. 10. (nn) Jef. I. 2. coll. 2. Petr. I. 21.

§. III.

Summo huic Numini *oraculum* tribuitur. נאם sive nomen dicas, form: נבּוּר, sive Part. Paul, in statu constructo, perinde est. Rad. semel in Fut. legitur Jer. XXIII. 31. Ex quo loco, (oo) ac simul ex creberrima a Prophetis, nomine Dei loquentibus, facta usurpatione patet, de *divino* illam vocem *oraculo* usurpari proprie. (pp)

(oo) Nam ibi in Psevo-Prophetas invehitur Jeremias, vel potius Jehova ipse, quod & illi, hac voce adhibita, velint pondus addere sermoni suo, conf. y. 30. (pp) Ad loca, in quibus & de hominum dictis usurpari videtur, facilis est responsio. Nam 2. Sam. XXIII. 1. dubio caret omni, *considerandum esse Davidem*, ut *Propheam*, qui verba ipsius DEI protulerit, conf. v. 2. 3. De Prov. XXX. 1. *idem* dicas Agur enim ille, quisquis etiam fuerit, non obscurum ibi de Christo vaticinium prodit. De Num. XXIV. 3. 4. 15. 16. magis dubia res videri posset; quia tanquam nequissimorum Coryphæus, a Petro pariter ac Juda Apostolis, describitur Bileamus. Ast horum auctoritati refragari ut sit nefas: tamen locum Numerorum inspicienti liquebit, *eum, eo quidem tempore, a Spiritu DEI actum*, prophetaſſe. Superest locus Pf XXXVI. 2. נאם פשע לרשע בקרב לב. *Oraculum prævaricationis* (quæ est) *impio*; vel etiam: *ad impium, est in corde meo*. Sed omnino dicendum videtur, *dictum illud, quod quidem prævaricationis est, ab impio haberi*

beri *oraculum divinum*. Sicut enim Diabolus vocatur Deus 2. Cor. IV. 4.; quia a mundo tanquam Deus colitur: ita di-
ctum prævaricationis vocatur oraculum divinum, quia tale ab
impiis habetur, conf. Pf. LXXIII. 9. germ.

§. IV.

De *Interprete* oraculi divini *Haggæo* hæc habe: No-
men significat: *Festa mea*; quia Domini festa celebranda
rursus erant, post tam diuturnam illorum intermissionem;
prophetam eum fuisse constat; *familia* ignoratur. *Hiero-*
nymi, non hominem, sed angelum eum fuisse, sententia,
nullo nititur fundamento. (99)

(99) Deceptus est *Pater* hic, alias hebraice doctus præ ceteris,
voce *זרתיך* c. I. 13. Hæc enim non *angelicam naturam*,
sed in genere *nuncium* significat, adeoque & de hominibus,
Dei internunciis, ad hiberi potest, & abhibetur.

§. V.

Jam ad *Personas*, quæ divina hac adhortatione, ad
opus moliendum excitantur, progrediamur. & Harum *pri-*
ma est *זרתיך* i. e. dispersus Babelem; vel disperserunt (*אדרים*)
Babelem. (rr) *Nomen* accepit a misera Judæorum *sorte*;
dispersi enim erant ex Judæa in Babelem, quo tempore hic
natus est. *ששבר* (ss) *eundem* cum nostro esse, multi sta-
tuunt; sc. præter nomen *Hebr.* fortitus quoque est *Chal-*
daicum, uti pluribus tunc contigit. Ab officio idem quo-
que dictus censetur *תרשתא* (tt). Quod ad *familiam* ejus
attinet, filius vocatur *Schaltielis* (uu) v. 2., nec non Esdr.
III. 2. V. 2. & Matth. I. 12. 13. Nam in his locis de *codem*
fermonem esse, non tam *idem tempus*, quam *iidem* arguunt
majores. Quando autem I, Par. III, 19. *pater* ejus dici-
tur

tur *Pedaja*, (xx) hujus vero genitor *Schealtiel*; inde discimus, eum proprie non filium, sed *nepotem* fuisse *Schealtielis*. Pater autem omisus videtur, quia præmatura morte abreptus est forsitan. Sed cum, qui a Luca c. III. 27. commemoratur, diversum fuisse ab eo, de quo nunc agimus, facile adparet, cum utriusque plane diversi sint majores.

Tandem notari potest, fuisse eum typum *αγαθός* veri populi sui, conf. Hagg. II. 23. כ Porro Deus adloquitur Sacerdotem summum יהושע, (yy) qui etiam vocatur יושע (zz); Pater ejus יהוצק; (aaa) Genealogia ejus legitur, 1. Par. V. 29. --- 41. Neh. XII. 10. 11.; & quod typus Messiae sit, patet ex Zach. III. 8. 9. VI. 11. - 13. ב Excitatur denique *populus* universus, qui in Judæa degebat. Harmonia enim triplicis Hierarchiæ omnino ad tantum opus perficiendum requirebatur.

(yy) *Posterius* vult *Hillerus* in Onom. S p. 318. & 601., prius vero aque bene procedit, ex Part. Paul. (ss) Esdr. I. 8. VI. 14. *Hillerus* in Onom. S p. 607 reddit. *Liberat Atsar*. Compositum sc. vult esse ex שש & אר, quod posterius alibi p. 596. occultum significare dicit. ו autem in priori habet, pro servili. Num vero וו liberandi notionem habeat, aliis inquirendum relinquo. *Alii*, *liberat* (Deus) *in angustia* coll. Dan. III. 15., ubi וו liberare significat. Sic i cum ו permutatum esset. Putant vero accepisse nomen *exinde*, quod circa illud forte tempus, cum proavus ejus *Jechonias* ab *Evilmerodacho* vinculis solveretur, natus sit. Forre posset ex *Hebraeo* derivari sermone, & componi ex וו bysus, ו in, & א angustia; sc. cum in Angustia esset *Jechonias* proavus, byssum i e. vestimentum regium accepit 2. Reg XXV. 29. (tt) *Esdrae* II. 36. *Multi* N. P. esse volunt; *Hillerus*, epitheton *Nehemiae* esse, opinatur coll. Neh. VIII. 10. *Onom.* S p. 660. & 827., & vertit *austerum*, quia *Neb.* in judicando fuit severissimus.

C 2

utpote

utpote qui Judæos, propter liberos, quos e gentilibus fœminis sustulerant, hebraicæ lingvæ ignaros, pugnis obtusos glabraverit. *Alii* esse nomen officii contendunt, ut idem sit, quod *Judex*, vel *Censor*. Pfeifferus in D. V. laudat eo nomine *Castellum*, derivantem a Persico Turusch & Türusch. Sed Aben E. deducit ex *רשף* potestatem habuit. Gusselius denique ab *רשת* Ps XXI. 2. quasi, qui pronunciat mandata cum regia auctoritate, qua nititur. (uu) *Sebaltiel* contracte pro *Sebaltiel* quasi *אלהים יצירת* petitio Dei i. e. petitus a Deo *Hil. Onom.* S. p. 501. (xx) *redemit Dominus.* (yy) *יהושע* i. e. Dominus est salus, ex nomine divino *יהו* & *שוע* salus, quæ quidem vox in hac significatione in usu non est, sed confer collactaneum *תשועה*, quod a *ישע* derivari nequit, cum *ת* præform. non habeat (..) sed (:). Recte autem a *שוע* deducitur. (zz) *ישוע* Ita vocatur Esdræ III. 2. significat vero hæc vox salutem; uti fœm. *ישועה* non secus ac dicimus *אמונה* & *אמונה* veritas: *Hillerus* tamen *Onom.* S. p. 322 autumat, posse etiam componi ex *יהי* & *שוע* erit salus; seu: qui Erit, est salus. (aaa) *יהוצדק*, qui & contracte dicitur *יצדק* Esdr. III. 2. i. e., Dominus est justus.

§. VI.

Opus autem strenue continuandum, usque dum imponerent colophonem, erat *templum*, nuper admodum ædificari cœptum. Indicatur hoc ipsum voce: *עשו* laborate, operamini; qua de voce in *Differi* nostra de dicto. Coh. XII. 11. 12. abunde satis dictum est. Templi vero *strueturam*, *partes*, & quæ *in illo*, vel *extra illud* notari possent, describere, nunc quidem a scopo nostro alienum est. (bbb) Id saltem dicimus, *templum* hoc *posterius*, quod ipsum & ultimum fuit, eritque, (ccc) cum *priori* nullo comparandum fuisse modo. Nam non tantum destituebatur splendore *auri* *argentique*, quo prius fulgebat, (ddd) sed *res* etiam *majoris momenti* deerant, quarum *quinque*, universali Judæorum traditione, (eee) recensentur, 1.) *Arca fœderis*, una cum

cum *Cherubimis* & *cistulis* accessoriis, *cujus* tamen loco lapidem positionis f. foundationis (אבן שתייה) in adyto fuisse, ajunt; (fff) (2.) *Schechina* f. columna nubis & ignis; (3) *ignis* cælestis; (4.) *Urim & Tummim*; (5.) *Spiritus Prophetie*, quod ultimum tamen, non sine aliqua limitatione admittendum est; (ggg) Alii loco *doni Prophetie*, *unguentum* S. substituunt, Interim *gloria* hujus ædis, alio respectu, prioris longe superavit; dum *Dominus ipse gloria*, non sub columna nubis & ignis, sed in adfumta, & omni divinitatis plenitudine donata humana natura, ad hoc templum venit, desiderium omnium gentium ex-
plens. (bbb)

(bbb) Evolyi possunt, qui pluribus hac de re scripserunt v. g. *Lundius*: *Ludov. Capellus* in triplici delineatione Templi Hieros.; *Constant. l'Empeveur* notis in Cod. Middoth; *Lightfoot* de Descript. Templi Hieros; ut Hebræos, pluresque alios præteream. (ccc) Frustra ergo sunt Judæi, qui tertium expectant, conf. *Jes. LXVI. 1.* (ddd) conf *Hagg II. 4. coll. 9.* (eee) nisi forte unum R. *Asariam*! excipias cum *Lundio* p. 392. (fff) conf. *D. Joach. Lang.* כפלה p. 121. & *Bux. Lexicon Talmud.* col. 2541. (ggg) Constat enim in secundo templo vaticinatos esse tres ultimos prophetas. (bbb) conf. *Hagg. II. 8. 10. Mal. III. 1.*

§. VII.

Adhortatio ipsa proponitur, καὶ κατὰ θεόν, καὶ κατ' ἀγῶν, & quidem ita, ut facile animadvertas, Deum eadem removere voluisse inprimis *obstacula*, quibus Judæorum animi retardari ac sequefcere possent. Erant illa inprimis *timor*, immo *terror*, ne ab adversariis delati, (iii) *offenso Regi*, quod injussu ipsius, & contra decessorum suorum interdicta, rem adgredi ausi sint, darent poenas: nec non *sollicitudo* ingens, ac *diffidentia*, qua de posterioris templi splendore desperabant. (kkk) Illa autem mali sunt consilia-

rii, adjutores pessimi. Hinc *ter* ingeminat Propheta Dei nomine: *פּוּר*. Vox hæc inter significatus reliquos significat *fortem se gerere, fortem se præstare, fortitudinem exercere*; & opponitur *terrori & pusillanimitati*, adhibeturque in talibus *adhortationibus*, quibus *excitare* alium animus est, ne deserat *stationem*, aut de *officii* remittat functionibus; (III) Item, *diligentem esse, omnem adhibere industriam*. (mmm) Et hæc significaciones etiam huic loco adprime conveniunt. *Repetitio* quoque, uti ex *adfectu sanctissimo* (nnn) provenit, non ex *vano Rhetorices artificio*; (ooo) ita nullum est dubium, quin *triplex*, ut ita dicam, *animus, roburque triplex* additum sit iis, qui hæc audiebant. Omnem vero ut *timorem* ex animo evelleret, quod *positive* dixerat sub *injuriæ*, sub *finem negative* repetit: *אֵל תִּירָא* h. l. non *reverentiam*, qua *fuspiciamus & veneramus*; (ppp) sed *metum* ad propinquantis mali (qqq) denotare, res ipsa loquitur. (iii) conf. Sect. I. §. 6. (kkk) conf. Sect. I. §. 7. (III) Deut. XXXI. 6. 7. Jos. I. 6. 7. 9. 18. Pf. XXVII. 14. (mmm) Jos. XXIII. 6. 1. Par. XXVIII. 7. 2. Par. XXXI. 4. (nnn) de *adfectibus*, quos sermo Scripturæ §. continet, legi & expendi merentur, qua *habet Aug. Herm. Franckius in Prælectionibus Hermen* p. 192. --- 250. (ooo) Hoc enim non indigebant *scriptores S.*, utpote qui non *sectabantur ὑπεροχὴν λόγῳ ἢ σοφίας*, neque *πειθῶς ἀνδροπίνης σοφίας λόγῳ*: sed utebantur *ἀποδείξει πνεύματι & δυνάμει* 1. Cor. II. 1. 4. *Dicis*; utuntur *Tropis & Figuris Rhetoricis*: Utuntur & quidem nonnulli eorum pluribus, quam ullus profanorum *Orator*; sed cave; credas, eos *confedisse*, & in *orationibus faciendis*, vel *epistolis scribendis sæpe caput scabere*, vivos & *rodere ungues*, folitos fuisse, ut *flosculos, lepores, nitores invenirent*, ut *fulgurarent, tonarent*, ut *tornatas loquerentur*, vel *scriberent periodos*. Ex *Spiritu S.*, & *adfectum sanctissimorum plenitudine*, loquebantur & *scribebant*, atque hoc modo *eloquentia superant omnes*, quos inter *profanos* totus admiratur mundus.

71
 dus. (ppp) Pf. CXII 1. Lev. XIX. 14. 2. Reg. IV. 1. (qqq)
 Gen. XIX. 30. XV. 1.

§. VIII.

Alterum nunc age membrum expendamus. Rationem enim efficacissimam addit Deus, qua omnes, studiosè animos attendentes, commotos valde, hilares, fedulos factos fuisse necesse est. Presentissimum sc. auxilium promittit Deus Triunus, Pater vocat se ipsum Jehovah (Deum) exercituum. De voce יהוה actum est supra, Nomen אלהי subaudiendum esse ante צבאות constat 1.) exinde, quod nomen יהוה in statu regiminis nec positum sit, nec poni possit, utpote Proprium. 2.) Exinde, quia ellipsis vocis אלהי alibi expletur v.g. 1. Reg. XIX. 10. 14. צבא autem quod in Sing. Masc. in Plural. Term. Masc. rarissime, sæpissime Fœm. præ se fert, exercitum quin significet, nemo ambigit, quam usitatiorē notionem & hic retinet. Deus vero Deus exercituum vocatur frequentissime, ut indicetur, cum Deum esse ordinis, qui omnia tam pulchre ordinavit, ut nulla acies aptius disponi queat; inprimis vero summa Dei potentia hac יְהוָה significatur; ad quam Jo. Apoc. I. 18. respexisse videtur, quando expositioni vocis יהוה subnectit: παντοκράτωρ. Multi autem omnino sunt exercitus, in quos imperium exercet Summum Numen, omnes sc. res creatæ, quibus ipse imperat, ut, quæ ipse vult, perficiant. (rrr)

(rrr) Exercitus Dei ex Gen. II. 1. dividi possunt in *caelestes & terrestres*. Ad illos pertinent *Angeli* 1. Reg. XXII. 19. *stellæ*; Deut. IV. 19., forte & *aves*, quia aves cæli vocantur Coh. X. 20. Luc. VIII 5. Ad *bos* vero referuntur, quæ & in terra, & in mari sive *Aqua* vivunt, conf. de *animalibus*, Pf. L. 10. 11., de *locustis*, Joel. II. 25., ubi tamen legitur יהוה. Inter *terrestres* primum locum merentur *homines* Jer. III. 19.

§. IX.

§. IX.

In commate 5. de *Filio & Spiritu Dei* agitur. Et ea quidem, quæ de *Filio* hic nobis exponuntur, curatiorem merentur considerationem. Antequam vero id fiat, de *coherentia* hujus cum præcedenti commate quædam monenda videntur. Scilicet וְאֵלֶּיךָ pro *Partic.* vulgo venditatur; negari etiam nequit, quod verbo, potissimum Neutri, juncta, naturam Præpositionum habeat. Eminent tunc *notio* Præpos. *Cum*, quæ & hic adplicanda venit. *Lutherus* quidem vertit: *Nath*; Sed licet eum quoque significatum ei quidam *Lexicographi* tribuant: hic tamen locus eum respuit. Hinc & וְאֵלֶּיךָ Copul. ante וְאֵלֶּיךָ negligere oportuit *Megalandrum*. Connecti ergo cum præcedentibus ita potest: *Ego sum vobiscum, oraculum Domini Dei Exercituum, & quidem cum Verbo*, cet. *Objici* huic explicationi potest *Accentuatio*; hujus enim leges requirere videntur, ut hoc comma 5. priori 4. includatur, dum res ipsa connexa est arctissime. Sed ut taceam, admodum longum futurum fuisse comma, observamus, & alibi *extraordinariam* & irregularem inveniri *Accentuationem*, ita, ut, quæ arctiora adhuc sunt, divellantur per *Sillukum* & *Soph Pasuk*. (sss) Sed si quis dicere ausit, וְאֵלֶּיךָ , uti alibi, (iii) ita & h. l. nomen esse, *essentiam* significans, vel *ipseitatem*, (liceat ita loqui) & *Ellipsin* statueret ex antecedentibus supplendam (uuu) h. m. *Vobiscum* quoque est *ipseitas Verbi mei*, cet. æque bene fluere omnia, ac æque feliciter forte sententiam suam defenderet. Sed ad rem ipsam.

(sss) conf. Lev. XVII. 8. 9. Jud. X. 11. 12. Jer. VII. 9. 10. 2. Par. XXX. 18. 19. (iii) v. g. 1. Sam. XVII. 34. Neh. IX. 34. 2. Reg. VI. 5. (uuu) Qualis ellipsis non infrequens v. g. Zach. XIII. 6. Gen. I. 30. Ps. CXXX. 5. 6. CXXXIII. 3.

§. X.

Filius Dei vocatur hic בְּרֵךְ . Hoc de vocabulo non pau-

pauca disputavimus alibi. (xxx) Nunc hæc duo probanda
 incumbere mihi viedo: *alterum* hoc est, quod vox רבר si-
 gnificet quoque verbum ὑποστατικόν; *alterum*, quod ean-
 dem notionem hic obtineat. (yyy) N Prius probo (a) ex
 tritissimo illo Ps. XXXIII. 6. Verbo Jehova cæli facti sunt,
 & Spiritu oris ejus rotus exercitus eorum. Ex quo dicto,
 magno consensu, probant Evangelicorum Theologi, Cre-
 ationis opus toti S. S. Triadi esse commune, ut & Filius
 & Spiritus S. vere totam hanc cæli terræque machinam,
 & quæ ejus ambitu non continentur solum, sed & extra
 illum sunt, condidisse dici queant, immo debeant. Per
 verbum itaque intelligunt τὸν λόγον ὑποστατικόν. Ne autem
 quis putet, nos humana tantum niti auctoritate & inter-
 pretatione, minus forte solida, (zzz) habeto, hanc ex-
 plicationem in ipsa Scriptura S. fundatam esse, exque ea-
 dem stabiliri posse. Idem enim, quod h. l. de רבר pro-
 nunciat David, חכמה Coh. VIII. 22. -- 27. -- 30. de se ipsa,
 & Joannes c. I. 3. de τῷ λόγῳ adfirmant. Per hoc Verbum
 autem, & per hanc Sapientiam intelligi nequit alius, nisi
 æternus Dei Filius, qui & ipse Deus est, conf. Col. I. 16. Hebr.
 I. 2. Job. XXXIII. 4. (β) Deinde evolvi potest 2. Sam. VII.
 21. בעבור רברך Propter Verbum tuum, & secundum cor tuum
 fecisti omnem magnificentiam hanc, notam (eam) faciendo ser-
 vo tuo. Hic per רברך verbum πρὸς Προμηθὸν intelligi nequit;
 quia hoc notum sibi factum esse dicit a Deo, propter Verbum
 ipsius: Ergo intelligendum illud Verbum, propter quod
 omnes hominibus promissiones factæ sunt, & in quo eæ-
 dem ratæ; id quod est ipse Filius 2. Cor. I. 20. Dicis: Da-
 videm respicere ad promissiones, antea Israëliitarum genti
 factas a Deo, & velle indicare, propter illas i. e. ad implendas
 illas, Deum hanc addidisse novam; confer ergo locum pror-
 fus parallelum 1. Par. XVII. 19. Ibi enim pro בעבור רברך
 legimus בעבור עברך. Sicut autem prior locus prohibet,
 D quo

quo minus per *servum Dei* intelligamus ipsum *Davidem*, (qui quidem in eodem loco *servum Dei* se nominat) quia hic *Verbum Jehovah* vocari nequit; ut taceamus, non meruisse *Davidem*, ut tanta ei promiserit Numen sanctissimum: ita *posterior* non permittit, ut priorem de *verbo προφορικῶ* explicemus; hoc enim *servus Dei* nunquam adpellatur. Quis autem ille *servus Dei* sit, ex *Jesaia* perquam est notum, in quo *Mesias* sæpe ita nuncupatur, v. g. c. XLII, 1. c. LII, 13. (γ) Subjungimus locum tertium ex Pf. CVII, 20. Sermo fuerat Psalmodographo de ægrotis, quos a vara mortis manus jam jam raptura videbatur; vel, ut stilo Psaltæ loquamur, qui *pertigerant ad portas mortis*, & in summâ angustia ad Dominum clamaverant. Et statim addit: *Mittebat, scilicet Dominus, Verbum suum & sanabat eos, & eripiebat eos ex foveis suis*. Quodnam hoc verbum, per quod Dominus sanat? Illud, quod se ipsum vocat *Dominum sanantem* Ex XV, 26. Illud, quod *morbum nostrum tulit, & cujus vibicibus sanati sumus*. Jes. LIII, 4, 5. Quod ut de *spirituali morbo* in primis intelligendum, ut ipsa *Textus συνάφεια & Petrus* I, Ep. II, 24, fatis superque docent: ita *corporales infirmitates* excludi non debere, *Matthæus* cap. VIII, v. 17, testatur. Confer *Sap.* XVI, 12. *Auctor* enim libri *Sapientiæ* haud obscure significat, se ad Num XXI, 8, respicere; mentionem siquidem facit *signi salutariferi*, quo conpescit; sanati sint a morsu serpentum venenatorum. Per signum hoc salutiferum, quis representatus sit, *salvator ipse* docet Jo. III, 14. (δ) Huc forte etiam referri possent loca I, Sam, III, 21. Pf CXIX, 18. לרבך יחלה coll. Gen. XLIX, 18. לרשועתך קייט Pf CXIX, 105, coll. Jo. I, 9.

(xxx) scilicet in *Disp.* nostra de dicto Coh XII, 11, 12. (yy) *Po-* *tuisset tertium addi, cur Filius Dei Verbum, græce λόγος vo-* *ceatur. Sed hoc cum mysterium ipsum generationis aternæ at-* *tingat, Theologis relinquendum putavi. Conferantur vero præ-* *ceteris Spenerus & D. Joach. Langius, uterque in Comment. in* *I. Jo. I, 1. (zzz) Dissimulari fortassis nequit, adduci in quibus-* *dam*

dam *System.* vel *Compend. Theol.* dicta, quæ vix probant, quod probandum erat, nisi dicas, non probationis, sed illustrationis gratia adlata esse.

§. XI.

Quod vero & h. l. eandem obtineat significationem, id quod כ demonstrandum diximus, probamus (α) exinde, quia in *communione Patris & Spiritus S.* ponitur. Jam vero in tota Scriptura S. nunquam verbum *πρωτογενῆς* in tali communione cum Patre & Spiritu S. inuenies: contra familiare admodum Scripturæ, ut *hi tres, qui unum sunt*, conjungantur v. g. 1. Jo. V. 7, Matth. XXVIII. 19. 2. Cor. XIII. 13. Apoc. I. 4. 5. *Clarius* (β) hoc fiet, si, quæ statim adjiciuntur de opere, a quo describitur, pensitauerimus.

§. XII.

אשר כרתו אתכם בצאתכם מצרים. *Primo notes, verlim, accurate tempus, de quo sermo est. Loquitur scilicet de eo tempore, quo egressi sunt Israëlites ex Agypto. Hoc igitur tempore fædus pepigit Deus cum Israëlitis. כרת enim proprie habet notionem secandi, feriendi cet. Sed si addatur (aaaa), vel etiam subaudiatur (bbbb) דו כרית, significat, pacisci, pangere vel facere fædus. (cccc) Porro autem observatu dignissimum, quod h. l. referendum sit inter ea, quæ *pregnantia* adpellamus, eo, quod aliud quoddam includunt verbum. *Canon* hic *Grammaticorum* & *Exegetarum* notissimus pariter est atque verissimus, & ad דו כרת ex usu *Pandectarum Sacrarum* sæpius applicatur, ita ut *promissionis* notionem connotet. (dddd) Sic igitur vertendum judico: *Quod* (Verbum), *fædere vobiscum inuito, promisi vobis. Quis* vero ille, quem fædere inuito promisit Numen veracissimum? nonne *Mesias*? Difertis hoc testatur verbis *Moses*: Deur. XVIII. 15. - 19. (eeee) Ergo per דבר *Mesiam*, qui, cum *Filius Dei* sit *HODIE* natus, *Filius Abr.* in *tempore* nascendus erat, intelligendum esse, res ipsa docet, svadet, urget, evincit. Quod si vero quis *communi-**

nisissimam illam pangendi fœdus notionem retinere velit mordacius: *robori* tamen argumenti, & interpretationi nostræ parum decedet. Sic enim vertenda erunt verba: *Et cum Verbo meo, quo pepigi vobiscum*, cet. *Quis* autem ille, quo, sive per quem Deus cum Judæis fœdus pepigit? nonne ille, quem *Angelum fœderis* nominat *Malachias*? c. III. 1. Facile quidem concefferim, *Malach.* hac appellatione tempus N. T. respicere: sed gratiæ fœdus per nullum alium nec in V. T. fieri potuit. *Per quam gratiam enim nos salvamur, per eandem & Patres in V. T. salvati fuere* Act. XV. 11. *In solo Christo Deus ipse sibi mundum reconciliavit* 2. Cor. V. 19.; & *in eo solo homines sibi reddidit acceptos* Eph. I. 6. Ergo & in eo solo fœdus gratiæ inire potuit, ac iniit. *Quid?* quod *Stephanus*, Spiritus S. ductu, diserte pronunciet Act. VII. 38. *Angelum in monte Sinai locutum esse cum Mosè*, ubi fœdus icebatur. *Angelus* autem *Domini* (Conf. v. 30. ib.) nemo alius, nisi C. J. conf. Ex. III. 2. 4. 7. XIX. 3. 7. 9. 10. *Rursus* igitur certum est, per *כבר* intelligendum esse *eternum Patris Verbum*, sive *unigenitum Dei Filium*, qui & ipse Deus est.

(aaaa) v. g. Deut. VII. 2. 1 Sam. XI. 1. 2. (bbbb) 1. Sam. XX. 16. (cccc) Phrasis, qua *icere* vel *secare fœdus* idem est, ac *facere fœdus*, seu *pacisci*, originem traxit a ritu paciscendi, de quo ex *Biblis* conf. Gen. XV. 9. seqq. Jer. XXXIV. 18. Si quis *profanus* de eo ritu *Scriptores* legere gestiât, evolvat *Danzii Litterat.* p. 223. & magno numero citatos inveniet, (dddd) *Quod promissionis* significatum connotet *כבר*, dubio caret omni, si recte inspiciantur loca 2. Par. VII. 18. & Ps. LXXXIX. 4. Fœdus Dei cum Davide in eo consistebat, quod iure jurando interposito, ei promitteret Messiam. (cccc) Hic clare satis dicit *Moses*, Israelitas ad montem *Chorebum*, cum Deo, post *exitum* ex *Ægypto*, eum illis fœdus iceret & rogasse, ut mediatorem ipsis promitteret Numen sanctissimum; & quidem propterea, quod veriti fuerint, ne consumerentur: Deum etiam precibus illorum locum dedisse, & promississe *magnum* illum *Prophetam*, qui esset *Verbum Patris ad homines*, revelando eis voluntatem suam. *Hunc Prophetam* magnum ab hominibus audiendum, *Jesum* esse, nemo, nisi in sacris litteris plane hospes, ignorat. conf. Luc. VII. 16. Jo. VI. 14. Matth. XVII. 5. Act. III. 22. 23.

6. VIII.

Derogamus ad tertiam S. S. Triados *Personam*, quam *Pater* vo-

cat *Spiritum suum*. Vocabuli $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\acute{\eta}\mu\alpha\varsigma$ significaciones evolvere omnes, nunc non vacat, nec id necessarium esse videtur. De *Spiritu* omnium *simplicissimo*, Deo, illud adhiberi, nemo inficiabitur; in *specie* id de *tertia Trinitatis Persona* usurpatur. *Jes.* LXI. 1. coll. *Act.* X. 38. *Jo.* I. 32. 33. *It. Es.* LXIII. 10. coll. *Eph.* IV. 30. *it. Joel.* II. 28. coll. *Act.* II. 16. 17. Deus *Pater* vero eum, quem ab *effectu* in primis, *sanctum* dicere consuevimus, (ffff) *Spiritum suum* nominat, eo quod ei per *spirationem* æternam communicat, *Essentiam* divinam; (gggg) sicut *Filio* eandem communicat, per *generationem* æternam. (bbbb) Ex quo sua sponte fluit, eundem *Spiritum* esse *verum, æternum Deum*. Id quod variis, iisque solidissimis argumentis evincunt *Theologi*: (iiii) *Spiritum S.*, non esse *qualitatem* sive *virtutem* quandam divinam; aut *angelorum chorum*; sed *personam* divinam, eamque a *Patre & Filio distinctam* (kkkk); nec non illum æque a *Filio* procedere atque a *Patre*. (llll) Sed hæc *Theologis* explicanda relinquimus jure meritoque. Illud autem nostrum est, adnotare, quod vel ante $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\acute{\eta}\mu\alpha\varsigma$ subaudienda sit partic. $\delta\omicron\omicron$: *Et cum Spiritu meo*; vel post eam inferi debeat. Verb. Subtl. *Et Spiritus meus est persistens*.

(ffff) *Rom.* XV. 16. (gggg) *Jo.* XV. 26. (bbbb) *Pf.* II. 7. (iiii) Solent argumenta sua derivare ex 4. in primis fontibus (1.) Ex diserta appellatione (2.) ex attributis (3.) ex operibus (4.) ex cultu divino. (kkkk) *Jo.* XIV. 16. 17. *Matth.* III. 16. 17. (llll) *Jo.* XVI. 14. 15. coll. XV. 26.

§. XIV.

De *Spiritu S.* ergo dicitur, quod sit *perseveraturus* vel *permansurus in medio illorum*. $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\acute{\eta}\mu\alpha\varsigma$ enim h. l. uti etiam alibi non simpliciter stare significat, sed *persistere, perseverare, permanere*. (mmmm) Quando additur $\kappa\omicron\tau\omicron\kappa\omicron$ *in medio vestri*, si de toto, ut par est, populo, intelligas, vertendum est: *Inter vos* (nnnn): Ast, cave credas, *Spiritum S.* ita fuisse *inter* Judæos, ut *extra* homines quasi obambulaverit certe invisibiliter; sed ita *perseverabat inter eos*, ut quoque esset *in ipsis*; non quidem *omnibus*, attamen in *vere credentibus*, ut adeo recte etiam vertatur: *In vobis*. Quod autem *Spiritus S. in ipsis* credentibus permaneat, tota loquitur Scriptura. (oooo)

(mmmm) *Pf.* CII. 27. *CXI.* 3. *Prov.* XII. 7. *Coh.* III. 9. (nnnn) *Lev.* XVI. 29. (oooo) *conf. præ ceteris* 1. *Jo.* II. 27. *Jo.* XIV. 17. *Rom.* VIII. II. 1. *Cor.* III. 16.

§. XV.

Hic *Deus Triunus* (pppp) *Judæis* reducibus ex *Babylonia*, templum jam instaurare adgressis, (gggg) *auxilium* pollicetur *presentissimum*, dicens: $\delta\omicron\omicron$ $\alpha\delta\omicron\omicron$. Vocabulum $\delta\omicron\omicron$ sæpe notam præ se ferre *immutabilitatis*, adseruit atque probant ex *Deut.* XXXII. 39.

אני אני הוה, *Hillelus*, (rrrr) & jam dudum ante illum *Galatinus*. (ssss) Quam observationem, si & hic observandam censeris, sensus esset optimus: ego qui immutabilis sum; qui non mentior; (tttt) cuius ἡ κλήσις ἢ τὰ χαρίσματα ἀμεταμέλητα (uuuu), sum vobiscum. Part. אן notionem præpos. Cum sustinens, præcipue indicat *concomitantiam*, (xxxx) societatem & communionem, (yyyy) familiaritatem intimam, (zzzz) auxilium, (aaaa) quod fert, qui cum altero esse dicitur. *Ultimam* in loco nostro significationem obtinere, palam est, quam expressit etiam *Jonathas* בסערוכך, in auxilio vestro. Quamquam hoc ipso, notio *communione* & *familiaritatis* non excludatur, cum illi, qui *communione* & *familiaritatis* vinculo copulati sunt, mutuam sibi auxilium ferre soleant.

(pppp) Digna sunt verba *Funii* & *Tremellii*, in *Annot.* ad h. l. quæ hic legantur. Hunc locum quicumque aliter (quam de S. S. Trinitate) interpretantur, aut *Synchysin* durissimam horum duorum versuum coguntur invadere, & a Propheta consilio alienam, aut vim facere particulae, qua hic Prophetæ utitur: nos vero, quum mysteria Dei procedente tempore magis innotuisse Prophetis & fuisse Ecclesie proposita ex ipso Dei verbo, cognoscamus; simplicitatem verborum secuti & argumentigenus statuimus; Deum Patrem presentiam sui ipsius cum Christo Servatore nostro, & cum Spiritu S. promittere Ecclesie suæ, atque hoc vindicte adversus omnia mala confirmare. Est itaque hic locus de sancta trinitate evidentissimus. Quibus calculum suum addit *Gladius* in *Phil. col. m. 1068*. Concinit *Coccejus* in *Lexico* sub vocabulis כרת & רבר, nec non in *Comment.* Denique adjicio *Hieronymum*, quem inter Patres solum *Hebraice* doctum ferunt. Hic autem in *Comment.* p. 106 *Sacramentum*, inquit *cernit Trinitatis. Ego sum vobiscum, & Spiritus meus, & verbum in quo posui Testamentum, cum egredere mini de Egypto.* (qqqq) Quæ de re factis Sect. I. (rrrr) in *Dissert.* de sensu verborum *Job.* XIX. 25. - 27. p. 13. (ssss) de *Arcanis Cathol. Ver.* Libr. II. c. 2. (tttt) *Mat.* III. 6. (uuuu) *Rom.* XI. 29. (xxxx) *Ex.* I. 1. (yyyy) *Gen.* XXXIV. 10, 16. (zzzz) *Gen.* V. 24. (aaaa) *Jes.* XLIII. 2.

§ XVI.

Atque ita Dei auxilio hanc opellam absolvimus, quod grato agnoscimus animo, eumque invocamus, ut non solum nobis in omnibus nostris cogitatis, sermonibus actionibus ve præsens semper esse velit, sed in primis etiam toti suæ Ecclesie; adeoque, uti hoc promissum Propheticum implevit Ecclesie V. T., ita ex mera gratia implere illam promissionem: ἐγὼ μετ' ὑμῶν ἐμὶ πάσας τὰς ἡμέρας,

ego vobiscum in omnia dies vestras.

ॐ (ॐ) ॐ

99 A 6943

ULB Halle 3
002 821 931





Handwritten mark

Detrov

Vb 17 *Hi 97*







47

DISPUTATIO HISTORICO - PHILOLOGICA,
DE
DICTO
Haggæi II. 5. 6.,
QUAM,
DEO TRIUNO AUXILIANTE,
Placidæ Eruditorum disquisitioni
Submittunt
PRÆSES
ABRAAMUS WOLFIUS,
P. P.
& RESPONDENS
JOANNES GODOFREDUS
DESSAU
PHIL. ET THEOL. AUCTOR.
AD DIEM XII. OCTOBRIIS MDCCXXIII.
IN AUDITORIO MAXIMO,
HORIS CONSVETIS.